

### III.

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 83.

---

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos  
et vita functos.*

Ex mundo superiore.

---

Elysium-Meum.-Die Veneris. Dec. 1809. (Neov. 14. Nov. 1809.)

*Eginardo — in Elysio.*

**I**gnosce, sis, Nobilis umbra! sacram tuam abs me turbari requiem. Recordatio tuorum temporum quæ nostræ ætati analogæ videntur, eo me petmoverunt, ut te vadam, prædemque eorum, quæ in medium adferre lubet, adpellem.

Atrax Bellona Sepulcro tuo in urbe Seeligenstadt continuo pepercit. Non quidem Abbatia hodie amplius est, augustum nihilominus monumentum in Ecclesia, ad quod quivis Germanus, ipse exterus, grato animo & veneratione percitus, urnam tuam ceu monumentum theutonici sensus honoris contemplantur.

Sed manum ad analogiam!

Carolus Magnus 4 bella adversus feros Saxones ante gerenda habuit, quam eos ad deditionem perduceret. Continuo, dum illi occuparetur, seditionem excitarunt, ejus ditiones adgressi sunt. Analogia cum nostræ ætate incidit in oculos;

Postea Europa inde ab occasu Romæ amplius non vidit imperium quam fuerat, Caroli M. Aequabat id Universali Monarchiæ. Ad eam referebatur dimidia orbis nostri pars; puta: Portugallia, Hispania, Gallia, Italia, Helvetia, Belgium & Germania. Omnes has provinciæ, ut lingua, legibus, Religionibus, rationeque status [disparis], Carolus nihilominus in politicam Unionem connexit. Ut vero . jugi sæpe sui pertæsos in obsequio contineat, opus erat continua serie illustrium ingeniorum dominantium, quali ipse polebat, absque hac lapsus & divisio Imperii, mole sua laborantis Carolingici prædici potuit eum certitudine. — Successores Caroli tam extensi dominatus incapaces erant, ipsi ab ejus probe expenso systemate desciverunt, quo factum: ut domus suæ ruinam promoverint.

Hodiernus Galliarum Imperans majores fecit occupationes, quam Carolus Magnus.

Hollandia, Italia, Germania, Helvetia, & ora Adriæ prout pars Poloniæ Gallicas victorias viderunt, & experiebantur; Hispania & Portugallia de præsentis in eodem versantur cardine, brevique post victorem conspiciant. — At ejus Systema nequaquam est Caroli Magni, nec quale Anglorum in Indiis orientalibus. Satis ei est, Statibus existentiam non adimere, verum eorum solum bellicas vires ad suos fines secum jungere; non ille ditionibus imperare vult, sed eas amicis credere, ut ii æqua ratione conatus suos in-

tendant; non vult ille ex orbis parte nostra unum Statum condere, verum eam in plurimum minorum Statuum molem mutare, quorum nullus præponderantem ædum exerere volet. — Ejus magnitudo æque, ac amplius patet Caroli Magni magnitudine, & intuitu hujus analogia inter utrumque intercedit. Verum ejus systema diuturnitatem majorem pollicetur, quam Caroli.

Carolus M. occupationibus suis exhaustis ovans Romam profectus Anno 800 Imperatorem occidentis promulgandum se & inaugurandum curavit. Restauravit is Imperium Cæsarium, anno 476 cum Romulo Augusto collapsum. Inseruit insigni suo Romanam aquilam, suisque vexillis, ad summam dignitatem indicandam. — Omnis eorum nota Europa ei paruit. Ubivis victor operam dedit ut suis dittonibus leges præoret, viresque maritimas consequatur.

Aquila jam insident Gallicanis signis; Napoleoni Hispania & Portugallia domanda restat; quod brevi acturus. Roma Cæsarea libera urbs est, — utrum analogiam inaugurationis Romæ prosequi volet? — Id certum: potentiam suam navalem pacato Continente restauraturum, amplificaturumque; — Fortassis Imperium Orientale in Russia, occidentale in Gallia contemplabimur — & tum analogia perfecta est.

Imperia excipit interceditque Domus Austriaca, semper potentissimus adhuc Europæorum reliquorum Statuum tam ratione numeri

incolarum, quam extensionis geographicæ. Durum, & pertinax quidem novissimum erat bellum, at continuo problema: an duo magni Status soli Europæ arbitria libraturi essent, irresolubile manebit, & tum — cum tempore consilium. —

Interim executio Conditionum pacis nondum definita est. Sequens officiosa relatio notionibus coordinandis servire potest.

*Parisiæ 9. Nov.* Monitor hodiernus continet initam vigore Art. 12. Pacis Vindob. die 26. Oct. inter Principem Neocomensem, & C. a Vrbsa Viennæ Conventionem militarem, ex qua hæc excerpta:

„Cum prima decessio, utpote Moravia intra 14 dies a permutatione Ratificationum locum habere debeat, idcirco hæc provincia die 4. Nov. ex integro deseretur, & quidem Brunensis & Znoimensis Cirouli die 2. Nov.

Cum secunda decessio utpote ex Hungaria, Vindobona, & ejus territorio, parteque Gallicæ Austriæ relictae, mense ab permutatione Ratificationum consequi debeat, ideo Gallicæ foederatæque Copiæ die 20. Nov. loca, stationes, & ambitus deserturæ, quos fortassis in hungarico solo & territorio adhuc tenent.

Ubi conditiones solutionem stipularum Summarum aut in pecunia, aut in litteris Cambialibus respicientes impletæ fuerint, tum Claves urbis Vindobonæ per fungentem officio Gubernatoris Officiali per S. M. Imperatorem Austriæ denominando consignabuntur.

Usque 20. Nov. Vienna cum territorio, videlicet pars Circuli Inf. Viennensis Sylvæ, primæ: Demarcationis lineæ ad occasum ex toto a Gallicis copiis deserentur.

Hæc linea porrigitur per Tullnam, hinc ad Stassdorf, Baumgarten, Fanum S. Sigharti, Rappolden, Kraking, montem Henrici, ad diversorium Preisbaum, arcem Breitenfurt, Strigaviam, per Hoehleiten & Forstenerhusam usque Sittendorf, Rothbergam, Gaden, Siegenfeld, Badenam, usque ædem pauperum Neostadii ad portam, & antrorsum Günseldorfam, & hinc Ebenfurtum.

Eodem die 20. Nov. integra pars Galliciæ Austriæ relicta evacuabitur.

Quoniam tertia excessio, nempe ex Austria Inferiore, 2 mensibus a tempore permutatarum Ratificationum locum habere debeat, propterea hi Districtus, ex quibus hæc provincia constat, die 20. Dec. evacuabuntur.

Quia 4. postremaque excessio residuarum videlicet Tractatu non cessarum provinciarum Districtuumque sesqui tertio a permut. ratificat. die locum habere debet, dictis provinciis et Districtibus die 4. Jan. 1810 de integro decedent.

Ore maritima, parsque Imp. Regique Italiæ cessa seqv. ratione occupabitur:

Die 14. Nov. Urbs Flumen cum littorali hungarico Gallico tradetur exercitui.

Occupatio littoralis usque Dalmatiam & totius Imperatori Galliciæ cessæ partis Croatiæ usque viam vallis Savanæ proxime consequetur.

Durante evacuatione littoralis Coptæ Gallicæ Insulas ab eo pedentes, quæ ab Austriacis tenentur, & occupatæ habentur, occupabunt.

Quævis nosocomia, omnis proprietas, promptuaria, res tormentaria, & navalis suppellex, Suae Maj. Galliarum Imperatoris, & præscriptis terminis auferri nequeens sub inspectione Galliarum Præfetti & Commissarii relinquatur. Ratificatum in Schönbrun 27. Oct. 1809. C. a Wröna — Alex."

*Vindob. 4. Nov.* Ex aulico hospitio Tata seqv. Jussum ad exercitum emanavit: „Bello finem feci beatos quietis fructus subditis meis largiturus, ut Salus eorum incertis fortuitisque eventis nequidquam pateat amplius. Edidit illi evidentia fidelitatis, ferventis studii sui in quibusvis periculis argumenta, hacque ratione vinculum firmiter indissolubileque colligatum est, quo Imperans bonis subditis adstringitur. — Agnosco in exercitu meo, cujus factorum quovis tempore intimo cum animi sensu meminero, fulcrum solii mei, præsidium & vadimonium futuræ subditorum meorum quietis. — Reperit in novissimis cruentis præliis æstimationem, & admirationem orbis, innumera exempla inconcussæ fidei, fidelitatisque in personam meam, maximam prætensionem ei largiuntur amoris mei, certissimumque vadimonium grati mei animi. Ejus prosperitas, ejus prærogativa & deinceps summo cordi curæque mihi erit.

Merita singulorum pro animi desiderio mei remunerari in præsenti rerum articulo,

quo Salus omnium eorum concivium juxta  
 cura mea est, nequaquam possum, nihilomi-  
 nus strenuo exercitui meo summum grati  
 contenti & animi, quod sub his adjunctis ede-  
 re valeo, edam documentum: præter nume-  
 rosas jam jam factas promotiones, & mili-  
 tiæ collatas gratificationes, distributionem  
 pro quovis agmine exercitus ordinis There-  
 siani Orucum, aureorum, & argenteorum  
 virtutis bellicæ memorialium numismatum  
 peculiaribus præmiis connexorum fieri jussi.  
 Jubeo una celebrari Ordinis Conventum (Ca-  
 pitulum) & Commissionis numismatum, ut quis-  
 quis eminente & strenuo facto merita fecisse  
 existimat, suas prætensiones in medium pro-  
 ferre possit; cuius jus impertiendum. Pax  
 exercitum ex arena reducit jam. Cum fidu-  
 cia exspecto conservaturum eum germanæ  
 strenuitate junctum disciplinæ spiritum, amo-  
 ris patriæ, Concordiæ cum Civibus, quo ad  
 præsens animatus erat; sensum jure partum  
 ejus valoris nequidquam extinguendum,  
 quemquelibet Superiorum ejus mecum ad  
 finem conisurum: ordinis spiritum, internæ-  
 que Constitutionis servandi, quæ sola diu-  
 turnam tranquillitatem, æstimationemque nô-  
 strorum finitimorum tutam præstando est.

Tata 24. Octob. 1809.

subscr.

*Franciscus.*

B I O G R A P H I A.

*Eginhardus* (Eginardus) unus de nobili-  
 bus aulae Caroli Magni in ea educatus tam  
 eximios progressus fecit in Scientiis artibus-

que ut eum Imperator Secretarium suum denominaret, quæ statio dignitate Status hodie ministri æquiparari potest. Ea ætate tituli non fuerunt adeo frequentes, ac hodierna. Postmodum ei filiam suam Emmam desponsavit, una munus Supremi ædificiorum Inspectoris contulit. Carolo defuncto Eginardus in Coenobio reliquam vitam exigere decrevit, dimissa Conthorali, quacum posthac ut soror et frater vixit. — Ludovicus Pius diversas ei Abbantias conferre voluit, quas omnes deprecatus, solam, quæ Seligenstadt dicta, acceptavit, quam dotavit, & cui primus Abbas præfuit, ibique 939 obiit. Ostenditur hodie in ejus urbis Abbatiali Ecclesia sepulcrum, in quod ejus, uxorisque exuvie conditæ perhibentur; ceterum desunt historica documenta, quando, & an ibi ejus uxor obierit. Habemus ab Eginhardo Biographiam Caroli Magni & Gallicos annales ab Anno 741—829, habentur & multe ab eo epistolæ, ad Cognitionem illius ætatis & historię maximi ponderis. Eginardus elegantissimus scriptor erat suæ ætatis. Ejus opera latino idiomate scripta sunt. — (Hæc Biographia secundum commune optimorum de Eginardo scriptorum judicium elaborata est.)

---

C  
sun  
libu  
nob  
quæ  
con  
pus  
ma  
&  
ra  
Ch

Mo  
ber  
que  
tion  
div  
usq  
ribu  
cer  
mar  
res  
mu  
Sy  
taya